LA MORTE DEL SIGNORE

ORATORIO SACRO IN 2 PARTI

DEL

Dr. P. HARTMANN

VON AN DER LAN-HOCHBRUNN ORD. FR. MIN.



EDIZIONI RICORDI

(Printed in Italy)

ADMODUM - REVERENDÆ - FACULTATI - TEOLOGICÆ

REGLÆ - UNIVERSITATIS - WIRCEBURGENSIS

EX - ANIMO - PERGRATO

D. D. D.

AUCTOR



LA MORTE DEL SIGNORE | DER TOD DES HERRN

ORATORIO SACRO

IN DUE PARTI

PER

Soli, Cori, grande Orchestra

ed Organo

DEL

ORATORIUM

IN ZWEI THEILEN

FÜR

Soli, Chöre, grosses Orchestre

und Orgel

VON

D.r P. HARTMANN von An der Lan-Hochbrunn

ORD. FR. MIN.



G. RICORDI & C.

EDITORI-STAMPATORI

MILANO - ROMA - NAPOLI - PALERMO - PARIGI - LONDRA - LIPSIA - BUENOS-AIRES

New-York – Boosey & Co.

(PRINTED IN ITALY).

(111337)

PERSONAGGI (Soli)

SOPRANO . . . . Storia

CONTRALTO . . . . . Voce misteriosa

BARITONO (invisibile, all'Organo) . . . . . . CRISTO

BASSO (in mezzo al Coro, nella prima parte soltanto) . . . . Gesma

PERSONEN (Solisten)

SOPRAN. . . . . Erzählerin

ALT . . . . Mystische Stimme

BARITONO (unsichtbar bei der Orgel). CHRISTUS

BASS (in Mitte des Chores, nur im ersten Theile). . . . . Gesmas





PARTE PRIMA | ERSTER THEIL

N. 1.

CONTRALTO SOLO (Voce misteriosa) | *ALT SOLO (Mystische Stimme)*

Ecce crucem Domini, venite adoremus.

Introduzione sinfonica. | Symphonische Einleitung.

CORO | *CHOR*

Ecce crucem Domini, venite adoremus.

STORIA (Soprano) | *ERZÄHLERIN (Sopran)*

Et crucifixerunt eum. Et cum iniquis reputatus est.

CONTRALTO SOLO | *ALT SOLO*

Christe fili Dei vivi, miserere mei: secundum magnam misericordiam tuam, et secundum multitudinem miserationum tuarum: dele iniquitatem meam.

CORO | *CHOR*

Christe Fili Dei vivi, miserere nobis.

Nota bene.

Diversi motivi musicali („Populе meus", „Agios", „Vexilla Regis") sono presi dal Canto Gregoriano.

Anmerkung.

Einige musikalische Motive („Popule meus", „Agios", „Vexilla Regis") sind dem gregorianischen Choral entnommen.

N. 2.

STORIA	*ERZÄHLERIN*

Prætereuntes autem blasphemabant eum, dicentes:

CORO	*CHOR*

Vah, qui destruis templum Dei, et in triduo illud reædificas, salva temetipsum. Si Filius Dei es, descende de cruce.

CRISTO (Baritono, invisibile all'Organo)	***CHRISTUS*** *(Bariton, unsichtbar bei der Orgel)*

Popule meus, quid feci tibi? aut in quo contristavi te? responde mihi.
Quia eduxi te de terra Aegypti, parasti crucem Salvatori tuo.

(Improperia).

CONTRALTO SOLO	*ALT SOLO*

Miserere mei.

CORI (a due)	*DOPPELCHOR (Choral)*

Agios o Theos.
Sanctus Deus.
Agios ischyros.
Sanctus fortis.
Agios athanatos, eleison imas.
Sanctus immortalis, miserere nobis.

(Liturg. Rom.).

STORIA	*ERZÄHLERIN*

Et principes sacerdotum illudentes cum scribis et senioribus, dicebant:

CORO D'UOMINI | *MAENNERCHOR*

Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere. Si rex Israel est, descendat de cruce, et credimus ei. Confidit in Deo, liberet nunc si vult eum; dixit enim: quia Filius Dei sum.

CRISTO | ***CHRISTUS***

Ego eduxi te de Aegypto demerso Pharaone in mare rubrum, et tu me tradisti principibus sacerdotum.
Popule meus, quid feci tibi? aut in quo contristavi te? responde mihi.

CONTRALTO SOLO | *ALT SOLO*

Secundum magnam misericordiam tuam, et secundum multitudinem miserationum tuarum: dele iniquitatem meam; miserere!

CORI | *DOPPELCHOR*

Agios o Theos.
Sanctus Deus.
Agios ischyros.
Sanctus fortis.
Agios athanatos, eleison imas.
Sanctus immortalis, miserere nobis.

STORIA | *ERZÄHLERIN*

Unus autem de his, qui pendebant, latronibus basphemabat eum, dicens:

GESMA (Basso solo, in mezzo al Coro) | *GESMAS (Bass solo, in Mitte des Chores)*

Si tu es Christus salvum fac temetipsum, et nos!

CONTRALTO SOLO	*ALT SOLO*

Salvum me fac, Deus, salvum me fac. Sana animam meam, quia peccavi tibi. Salvum me fac, Deus.

STORIA	*ERZÄHLERIN*

Milites cum crucifixissent eum acceperunt vestimenta ejus et tunicam. Erat autem tunica inconsutilis, desuper contexta per totum. Dixerunt ergo ad invicem:

CORO D'UOMINI	*MAENNERCHOR*

Non scindamus eam, sed sortiamur de illa, cujus sit.

(Evang.).

CRISTO	***CHRISTUS***

Quid ultra debui facere tibi, et non feci?
Ego te exaltavi magna virtute, et tu me suspendisti in patibulo crucis.
Popule meus, quid feci tibi? aut in quo contristavi te? responde mihi.

CORI	*DOPPELCHOR*

Agios o Theos.
Sanctus Deus.
Agios ischyros.
Sanctus fortis.
Agios athanatos, eleison imas.
Sanctus immortalis, miserere nobis.

N. 3.

CORO (Inno corale)	*CHOR (Choral-Hymne)*

Crux fidelis, inter omnes
Arbor una nobilis:
Silva talem nulla profert
Fronde, flore germine:
Dulce ferrum, dulce lignum,
Dulce pondus sustinent.

Sola digna tu fuisti
Ferre mundi victimam,
Atque portam præparare
Arca mundo naufrago,
Quam sacer cruor perunxit,
Fusus Agni corpore.

(Fest. Ss. Crucis).



PARTE SECONDA | ZWEITER THEIL

N. 4.

CORO D'UOMINI | *MAENNERCHOR*

Vexilla Regis prodeunt.

CONTRALTO SOLO | *ALT SOLO*

O Crux benedicta, quæ sola fuisti digna portare Regem cœlorum et Dominum.

CORO D'UOMINI | *MAENNERCHOR*

Vexilla Regis prodeunt
Fulget Crucis mysterium,
Qua vita mortem pertulit,
Et morte vitam protulit.

CORO GENERALE | *ALLGEMEINER CHOR*

O Crux, ave, spes unica,
Hoc passionis tempore
Piis adauge gratiam,
Reisque dele crimina.

CONTRALTO SOLO e CORO | *ALT SOLO und CHOR*

Ave Crux benedicta, ave!

(Fest. Ss. Crucis).

N. 5.

STORIA e CONTRALTO (Duetto)	*ERZÄHLERIN und ALT SOLO (Duett)*

Stabat mater dolorosa
Juxta crucem lacrymosa,
Dum pendebat Filius.

Cujus animam gementem,
Contristatam, et dolentem,
Pertransivit gladius.

(Hymnus Fest. VII dol.).

STORIA SOLA	*ERZÄHLERIN ALLEIN*

Cum vidisset ergo Jesus matrem, et discipulum stantem, quem diligebat, dicit matri suae:

CRISTO	***CHRISTUS***

Mulier, ecce filius tuus.

CORO D'UOMINI (Corale)	*MAENNERCHOR (Choral)*

O Maria, mater Dei,
Mater pia quoque rei;
Miserere peccatoris
Scatens rivulus amoris!

Tot peccatis pressus gemo,
Malis fessus pœnas tremo,
Mater Dei, mater rei,
Miserere precor mei.

(Florale poëseos).

STORIA	*ERZÄHLERIN*

Deinde dicit discipulo:

CRISTO	***CHRISTUS***

Ecce, mater tùa.

STORIA	*ERZÄHLERIN*

Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua.

CORO DI DONNE (Corale)	*FRAUENCHOR (Choral)*

A te datur Paradisus,
Et paratur Dei visus;
Mater esto te colentis
Et adesto dux clientis.

Spes salutis, pacis portus,
Vas virtutis, florens hortus;
Ad Mariæ thronum tendo,
Matri meæ me commendo.

(Florale poëseos).

STORIA	*ERZÄHLERIN*

Erat autem fere hora sexta, et tenebræ factæ sunt in universam terram usque in horam nonam. Et obscuratus est sol, et velum templi scissum est medium. Et clamans voce magna Jesus ait:

CRISTO	***CHRISTUS***

Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.

STORIA	*ERZÄHLERIN*

Et hæc dicens exspiravit.

CORO (la metà)	*HALBCHOR*

Vere Filius Dei erat iste.

CORO (Tutti)	*ALLGEMEINER CHOR*

Amor meus crucifixus
Deus es de Deo vero;
Tuis meritis innixus
Veniam peccati spero.

Ara crucis, lectus ducis,
Vera salus hominum,
Nobis bonum fac patronum,
Quæ tulisti Dominum.

(Florale poëseos).

N. 6.

CORO e FUGA FINALE	*SCHLUSSCHOR mit FUGE*

Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi. Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus, et veritas Domini manet in æternum.

(Ps. 116).



Prezzo netto: Cent. 3o.